



## The Holy See

---

PIUS PP. X **EPISTOLA LIBENTISSIME LEGIMUS\*** VENERABILI FRATRI VINCENTIO, EPISCOPO FANENSI,  
DE SEMINARIO THEOLOGICO TOTIUS PICENI SUPERIORIS Venerabilis Frater, salutem et apostolicam  
benedictionem. — Libentissime legimus tuas litteras, in quibus primum gratias Nobis diligenter agis, quod Seminarium  
Theologicum totius Piceni superioris in ista urbe, honoris tui sede, constituimus. Nam videmus ad curam huius Instituti sic  
animatum te accessisse, quemadmodum oportet: scribis enim te operam omnem navaturum alumnis, ut probe instructi  
Evadant cum a sana doctrina, tum vero a solida pietate; nec unquam passurum ut alterutro in genere pestifera  
*Modernistarum* contagia sentiant. Itaque dubitare non potes, quin, uti rogas, precari velimus, ut tibi hac in causa benignis  
Deus adsit. Quae autem pro Nobis pie facis vota, his reddimus ex animo vicem; atque auspicem caelestium munerum,  
tibi, Venerabilis Frater, et Clero populoque tuo apostolicam benedictionem amantissime impertimus. *Datum Romae apud  
S. Petrum, die X Ianuarii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.* **PIUS PP.**

---

X

\*AAS, vol. II (1910), n. 2, p. 51.

---